





~~\_\_\_\_\_~~ Puanum. 6

1725/16 17

20

P. 16.

**SCHEDIASMA**  
 DE  
**COGNITIONE STATVS PVBLICI**  
**A PRVDENTIA IVRIS PVBLICI**  
 DIFFERENTE  
 QVOD  
**EXERCITATIONIBVS IVRIS PVBLICI**  
 PRAEMISIT  
**AD EASDEMQUE**  
 OFFICIOSE INVITAT  
**BURCARD GOTTHELF STRUVE.**

I E N A E

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS  
M DCC XXV.





**R**equens est atque vulgare, inter eruditos etiam, ut quædam scientiarum classes quæ haut leuem inter se habent amicitiam, inuicem confundantur, dum vtriusque momenta non adeo iuste atque accurate fuerint perpenſa. Videmus ita, commiſceri ſæpius iurisprudentiam diuinam cum naturali, Theologiam naturalem cum reuelata, iurisprudentiam Canonicam cum pontificia, ius Canonicum cum ſtatu eccleſiaſtico, ius ciuile immiſceri publico, confundi phyſicam cum doctrina phyſiologica, notitiam rerum publicarum cum politica, ius naturæ cum iure ſcripto: ius Gentium vniuerſale & particulare, iurisprudentiam legiſlatoriam & conſultatoriam cum politica, ut ancipites non nunquam docti hæreant, ad quam claſſem hæc vel illa ſint referenda. Inter hæc ſine dubio locum habet, quæ inter notitiam ſtatus publici, & ius Publicum eſt differentia. De hac in præſenti fermo erit. Bene igitur hæc quatuor ab inuicem ſunt diſtinguenda, Notitia Germanicæ Reip. Notitia ſtatus Publici,  
Ius

Ius Publicum Imperii Romano Germanici, & Ius Publicum prouinciarum Germaniæ. Horum discrimen si probe notetur, facilius erit aditus ad singula. Notitia reipublicæ Germanicæ tribus potissimum absolvitur, statu chorographico, historico atque politico, & si generatim dicamus, omnes reliquas partes sub se complectitur. Cognitio status publici, originem, periodos & mutationes, nexum etiam monstrat imperantium atque parentium, immo ipsam reipublicæ administrationem, næuos etiam politicos. Ius Publicum legibus innititur fundamentalibus, vel, quæ legis instar est, obseruantia. Ius publicum prouinciarum Germaniæ, Recessibus prouincialibus, pactis familiæ, & iure cuiuslibet prouinciæ proprio absolvitur. His igitur expensis, vltius examinabimus, quidnam Doctores Ciuiles de hac sentiant differentia. Audiamus de eo HERMANNVM CONRINGIVM \* ita loquentem: *appello ius publicum, quod ad statum rei Germanicæ pertinet, quomodo Romanorum publicum ius Iustinianus definiuit, quod ad statum rei Romanæ spectat. At vero non qui Ius illud tenet, eo ipso statum publicum, vel τὴν πολιτείαν ipsam tenet. Multum enim sepe numero diuersa est administratio reipublica (in qua reuera consistit status publicus) ab Iure siue legibus publicis. Id quod vtrinam non etiam in rebus Imperii Germanici contingat! Nec omnia quæ regimen publicum attinent, legibus definita sunt, aut possunt definirî. Ad hoc administratio quæuis publica habet suam causam efficientem principalem pariter & instrumentalem; habet & materialem causam, circa quam occupatur. At vero, nec hominum, qui siue administrant siue parent; nec rerum ciuiliū, quarum adminiculo fit administratio, vel quæ administrantur, qualis sit conditio, ex Iuris*

X 2

Pu-

\* Not. ad Lampadium p. 2.

Publici notitia potest accipi, cum de conditione isthac inter ipsa iura  
altum sit silentium. Adstipulatur PACIFICVS a LAPIDE  
siue personatus OLDENBURGERVS, iurium apud Ge-  
neuenses Professor, \* dum ait: *Ius autem publicum cum cogni-  
tione status minime debet confundi, adeoque ipse status Imperii nostri ex  
iure publico non erit addiscendus. Magna siquidem iuxta principia  
Politices differentia est inter cognitionem vniuersi status, siue omnium,  
qua ad integram Reip. alicuius notitiam pertinent, & iurium alicuius  
status publicorum, qua de Regimine tantum sunt. Ergo legum  
publicarum Imperii scientia non omnino idem est cum cognitione sta-  
tus; cateroquin enim, qui ius scit publicum, sciret & conditionem  
omnis status Imperialis. Is vero qui statum penitus nouit, non po-  
terit ignorare ius Imperii publicum; quum leges ille animae ciuitatis  
sint, ac proinde iuris publici nostri notitia pars sit cognitionis eius,  
qua status Imperii comprehenditur. Consentit SAMVEL RA-  
CHELIVS, Iureconsultus Kiloniensis \*\* . fit tamen plerum-  
que, ait, ut ea, qua ad statum alicuius reipublicae pertinent, am-  
pliores habeant terminos, quam ius Publicum, adeoque nec plena sta-  
tus ciuilis publici cognitio ex solo iure publico hauriri possit. Multa  
enim ex iis esse vel emergere possunt, qua legibus iuris publici compre-  
hensa ac definita non sint: deinde quamuis ex iis determinationem  
acceperint, mutatur tamen quandoque status sensim sine sensu, ma-  
nentibus quidem veteribus magistratum vocabulis, legumque formu-  
lis, ut tamen status multum migrauerit, & administratio Reipublica  
a iure publico diuersa sit. Adsentitur CHRISTIANVS THO-  
MASIVS, \*\*\* ubi ait: de differentia dictum inter notitiam status  
publici & ius publicum. Status ostendit nexum Imperantium & pa-  
rentium, ius autem sunt leges illum statum corroborantes, vel inde  
profluentes. Et alibi: Status Imperii & ius publicum omnino dif-  
ferunt, ut recte notauit Pacificus, neque status ex Legibus addiscitur,  
sed*

\* p. 16. Adde p. 24.

\*\* in Oratio Nouiomag. delin. introduct. ad Ius Publicum cap. III. §. 13.

\*\*\* Not. ad Monzambano p. 7. licet TITIVS notis ad Monzambano  
p. 8. hanc differentiam haut admittat.

*sed leges potius & earum interpretatio, notitiam status presupponit.*  
 Ea scilicet discriminis est ratio, status publici cognitio  
 originem regni Germanici, huius sub Ottone M.  
 cum Imperio Romano & regno Longobardico con-  
 iunctionem, varias Impp. periodos, Imperii incre-  
 menta & decrementa, nexum, qui est inter caput &  
 membra, formam Imperii, morbos & medelas, ratio-  
 nem status, & quidquid ad Interesse Publicum facit,  
 quid fiat, siue iustum sit, siue iniustum, rationes gesto-  
 rum politicas, & similia, considerat. Ius Publicum  
 vero id docet, quod iuris est, iura Imperatoris & Sta-  
 tuum, prout hodie legibus vel consuetudinibus sunt  
 definita, demonstrat, notitiam legum fundamenta-  
 lium præbet, harum vsum, interpretandi rationem  
 declarat. Optime igitur finem Iuris publici describit  
 Iureconsultorum ille Coryphæus, IO. SCHILTERVS,  
 dum ait: \* *Nimirum finis tractationis huius est, non simpliciter*  
*leges de statu publico scire facere, quod & Historici esse poterit, sed*  
*imo leges ac consuetudines Imperii Rom. Germanici in artem redigen-*  
*di habitum; eumque communicandi cupide studii huius Iuuentuti,*  
*ut eo & leges rite interpretandi & de iis iudicandi, easue emen-*  
*dandi; vel nouas condendi, item secundum eam diiudicandi causas*  
*& controuersias publicas, ac denique secundum easdem atque e Rep.*  
*consilia dandi obtineant facultatem, quibus quippe partibus perfectus*  
*& publici & privati Iurisconsultus absolvitur.* Diuersi igitur  
 sunt scriptores Iuris Publici, ab his, qui ad status pu-  
 blici faciunt cognitionem. Primus ad cognitionem  
 status facit, personatus iste HIPPOLYTUS A LAPIDE,  
 siue potius BOGISLAVS PHILIPPVS CHEMNITIVS \*\*

\* *Inst. Iur. Publici lib. I. T. I. §. III.*

\*\* *Auctorem im Historischen Archiv Tom. II. p. 336. Satis certe*  
*enodauit.*

qui durantibus pacis Westphalicæ Tractatibus, de ratione status Imperii Romano-Germanici conscripsit libellum. Licet autem coronæ Suevicæ addictissimus, odio erga domum Austriacam nimium indulgeret, multo tamen cum iudicio, qualis in ea status sit, quæ ratio status obseruanda, quibusnam mediis antiquus status restaurari possit ac formari, haud indocte explicauit. Obseruationes autem varias contra eum ediderunt IOANNES SLVTERVS, IO. HENRICVS BOECLERVS. Imitati ipsum fuerunt FRIDERICVS CHRISTIANVS BRVGGEMANN, IO. WOLGANGVS TEXTOR & ARNOLDVS MAVRITIVS HOLTERMANN, qui tamen nec iudicio, nec rerum Germanicarum peritia pares sunt Chemnitio. Præ cæteris vero personatus iste SEVERINVS de MONZAMBANO, siue potius SAMVEL PVFENDORFIUS, hanc publici status notitiam, in suo de statu Imperii Germanici libello egregie demonstrauit. Licet enim plures nactus fuerit aduersarios, qui ipsum vel emendare conarentur, vel etiam reprehendere, non defuerunt tamen, qui ipsum vel defenderent, vel illustrarent. \* Sane, libellus iste, quam breuis iste sit, lectorem requirit subacti iudicii, in historia, Iure Publico, Legibus Imperii, Germania Principe versatissimum. Post Monzambano, CONSTANTINVS GERMANICVS, siue PHILIPPVS ANDREAS OLDENBURGER in Itinerario Germaniæ politico, Germaniæ statum describere fuit ausus, nimia tamen libertate in vitiis aularum Germaniæ

\* quos diiudicauit in Bibliotheca Iuris *cap. XIV. §. XLII.*



maniae perstringendis, fuit vsus, maiori dicacitate quam iudicio, licet a veritate non plane alienus. Inde PAVLVS MARCKMANNVS, siue MECHOVIVS quidam, occasione vnionis Hispaniae & Galliae, de futuro Germaniae statu binas epistolas euulgauit. In priori quidem demonstrare voluit, quantum vniuersae Europae interfit, vt se Gallorum moliminibus, vniendae cum Hispania Galliae, opponat. In altera, diuersas Imperii nostri mutationes, & incrementa tyrannidis papalis demonstrauit. Verum, neque haec scripta parem cum Monzambano habuerunt successum, cum auctor quidem aliquam status publici notitiam praeseferat, sine ordine tamen procedit, neque eodem cum Monzambano vtitur iudicio pragmatico. Ad hanc igitur status publici cognitionem, hoc ipso semestri introducere suscepi, dum non solum *Romano-Germanici Imperii Historiam*, sed etiam *Germaniam Principem*, atque ipsum *Ius Publicum* distinctis horis proponerem, illustraremque, publica etiam acroasi *Capitulationem Carolinam* explicarem. Per hasce Tractationes, adyta ad ipsam Germaniae cognitionem interioriorem aperiuntur. Nec defuerunt Commilitones quidam, qui moribus, ingenio atque doctrina pollentes, vt in doctrina Iuris publici redderentur certiores, eandem per exercitationes Academicas indagare sibi sumserunt, quorum nomina in publicum iterum producere, nostri nunc officii esse duximus.

Siqui-

Siquidem Generosissimus, atque Nobilissimi  
CAROLVS AVGVSTVS FABARIVS, Ienenſis  
IO. GEORGIVS AVENARIVS, Iſenacenſis  
IO. CHRISTOPH. DE LORENTZ, Eques Lauenb.  
GEORG. HENR. HILDEGARD, Munda Hannov.  
IEREMIAS WILHELM WALTSCHMIDT Goth.  
amico inuicem conſortio conſpirarunt, nec alios ab  
eodem excludent, qui me Præſide, Iuris Publici Syn-  
tagma, ex iterata, eademque locupletiori editione, per  
velitationes academicas diſcutere ſibi propoſuerunt,  
eaſdemque propediem incoabunt. Dum igitur lau-  
danda ſit atque ad imitationem proponenda illorum  
induſtria, publico hoc ſcripto eandem commendare  
volui, debui. Vos autem, Generoſiſſimi atque No-  
bliſſimi Commilitones, vt noſtris exercitiis faueatis,  
eademque frequentetis beneuole, rogo obnixè. Scri-  
bebam Ienæ IV. Kal. Maii clo lccc xxv.

Jena, Diss; 1725

ULB Halle  
004 577 949

3



f  
56.





Farbkarte #13

B.I.G.

20

~~20~~ ~~Punent. 6~~

1725/16 17

SCHEDIASMA  
DE  
COGNITIONE STATUS PVBLICI  
A PRVDENTIA IVRIS PVBLICI  
DIFFERENTE  
QVOD  
EXERCITATIONIBVS IVRIS PVBLICI  
PRAEMISIT  
AD EASDEM QVE  
OFFICIOSE INVITAT  
BURCARD GOTTHELF STRUVE.

*2-16.*

I E N A E

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS  
M DCC XXV.

